

§. LIV. v. III. *Sag allin heiligon thanc.* Sic enim legendum pro eo quod scriptum *Sab.* Quæ fuerit sententia Ecclesiæ Francorum de veneratione Sanctorum, pluribus docet S. Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis *lib. de Imaginibus. cap. 29.* coævus scriptor, qui præter aliorum SS. Patrum dicta, etiam S. Augustini *Lib. XXII. de Civ. DEI. c. X.* laudat: *Faciunt mirabilia martyres vel potius DEVS aut cooperantibus, aut orantibus eis, ut fides illa proficiat, quâ eos, non deos nostros esse, sed unum DEVM nobiscum habere credamus. Denique pagani diis suis & templa statuerunt, & edificaverunt aras, & sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud DEVM vivunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni DEO & Martyrum & nostri sacrificium immolamus; ad quod sacrificium, sicut homines DEI, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, invocantur, DEO quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum; quia DEI sacerdos est, non illorum. Ipsum verò sacrificium, corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. His præmissis hoc Agobardus subjicit iudicium & confessionem nomine Ecclesiæ Francorum: *Hec est sincera religio, hic mos catholicus, hæc antiqua Patrum traditio; sicut etiam Libro Sacramentorum, quem Romana tenet Ecclesia, facile comprobatur. Hunc venerationis modum qui supergreditur aut relinquit; contemnit disciplinam patris sui, dimittitque legem matris sue. Idè nec gratia capiti ejus addetur, nec torques collo. Teneatur itaque via regia. Non ponamus spem**